

**PONTIFICIA STVDIORVM VNIVERSITAS SALESIANA**  
**FACVLTA LITTERARVM CHRISTIANARVM ET CLASSICARVM**  
**Pontificium Institutum Altioris Latinitatis**

**Summarium Syntaxis Linguae Latinae**  
**PROPOSITIONES SVBIECTAE**



*Composuit: prof. Fridericus Sajovic, sdb*  
*Emendavit: prof. Cletus Pavanetto, sdb*

**Romae 2011**

## PROPOSITIO INTERROGATIVA RECTA

Propositio interrogativa recta notionem exprimit et modum indicativum postulat, cuius tempora omnia inveniri possunt. Sunt duo genera huius modi propositionum: simplices videlicet et disiunctivae.

### α) Interrogativae simplices

Introducuntur quidem:

#### a) pronomibus, adiectivis vel adverbis interrogativis ut:

quis?, quid? *Quis vestrum hoc non audivit? Quem vides? Cuius ducit filiam?*  
 qualis?, quale? *Qualis est oratio istorum, qui omnia non tam esse, quam videri volunt?*  
 qui?, quae?, quod? *Quae fuit mater tua?*  
 quot? *Quot filios habent Iulius et Aemilia?*  
 uter?, utra?, utrum? *Uter horum est insanius?*  
 ubi?, quo?, qua?, unde? *Ubi sunt, qui ante nos in mundo fuere? Quo vadis? Unde venis?*  
 cur?, quare? quomodo? qui? *Cur id egisti? Qui (= quomodo) possum, quaeso, facere hoc?*  
 quando? *Quando venturus es?*

#### b) particulis interrogativis:

num? *Num beatus est avarus?*  
 nonne? *Nonne omnia mutantur?*  
 -ne? *Vidistine fratrum meum?*

#### c) ipsa vocis inflexione: **Fecisti?**

Exempla:

- **Quis** Dionem Syracusium doctrinis omnibus expoliivit? Non Plato? (Cic.)
- Poetae **nonne** post mortem nobilitari volunt? (Cic.)
- Clodius insidias fecit Miloni? (Cic.)
- Rex interrogavit: "Estis**ne** vos legati oratoresque missi a populo Conlatino, ut vos populumque Conlatinum dederetis?" "Sumus". "Est**ne** populus in sua potestate?" "Est". "Deditis**ne** vos populumque Conlatinum?" "Dedimus". (Liv.)

### β) Interrogativae disiunctivae

Introducuntur particulis:

utrum... an?	<i>Utrum verum est an falsum?</i>	utrum... an non?	<i>Utrum vidisti patrem an non?</i>
-ne... an?	<i>Verumne est an falsum?</i>	-ne... an non?	<i>Vidistine patrem an non?</i>
... an?	<i>Verum est an falsum?</i>	... an non?	<i>Patrem vidisti an non?</i>

Exempla:

- **Utrum** nescis, quam alte adscenderis, **an** pro nihilo id putas? (Cic.)
- *Quid ego faciam? Maneam **an** abeam?* (Plaut.)
- *Haruspices haec locuntur **an** patrii penatesque di?* (Cic.)
- *Corinthiis bellum indicamus **an non**?* (Cic.)

## DE CONSECVTIONE TEMPORVM (TEMPORVM CONGRVENTIA)

Tempus praesens et futurum propositionis primariae postulat in propositione subiecta tempus praesens modi coniunctivi si huius actio simul exercetur, tempus perfectum modi coniunctivi, si actio praecedit et periphrasticam activam praesentem, si actio subsequitur:

Quaero / Quaeram ex te {  
 quid *facias*; quid *discas* (nunc).  
 quid *feceris*; quid *didiceris* (heri).  
 quid *facturus sis*; quid *futurum sit ut discas* (cras).

Exempla:

- *Nescis, insane, nescis, quantas vires virtus habeat; nomen tantum virtutis usurpas; quid ipsa valeat, ignoras.* (Cic.)
- *Nosces tu illum actutum, qualis sit.* (Plaut.)
- *Canes aluntur in Capitolio, ut significant, si fures venerint.* (Cic.)
- *Exponemus quas res laudaturi simus aut vituperaturi.* (Rhet. Her.)

Tempus praeteritum propositionis primariae postulat in propositione subiecta tempus imperfectum modi coniunctivi, si huius actio simul exercetur, tempus plusquamperfectum modi coniunctivi, si actio praecedit et periphrasticam activam imperfectam, si actio subsequitur.

Quaerebam }  
 Quaesivi } ex te {  
 Quaesieram } {  
 quid *faceres*; quid *disceres* (tunc).  
 quid *fecisses*; quid *didicisses* (antea).  
 quid *facturus esses*; quid *futurum esset ut disceres* (postea)

Exempla:

- Vellem scribere cur ita putares.* (Cic.)  
*Apelles pictores eos errare dicebat, qui non sentirent quid esset satis.* (Cic.)  
*Consul metuens ne renovaret certamen, signum receptui dedit.* (Liv.)  
*Si ii vicissent, intellegebam, quam crudelis esset futura victoria.* (Cic.)

Prospectus spectans consecutionem temporum modi coniunctivi:

PROPOSITIO PRIMARIA	PROPOSITIO SUBIECTA PENDENS EX PRIMARIA		
TEMPUS PRAESENS ET FUTURUM	PERFECTUM T. CONIUNCTIVI	PRAESENS T. CONIUNCTIVI	PERIPHRASTICA CUM SIM
<i>nescio</i>	<i>quid dixeris</i>	<i>quid dicas</i>	<i>quid dicturus sis</i>
PRAETERITUM TEMPUS	PLUS QUAM PERF. CONIUNCTIVI	IMPERFECTUM T. CONIUNCTIVI	PERIPHRASTICA CUM ESSEM
<i>nesciebam</i>	<i>quid dixisses</i>	<i>quid diceres</i>	<i>quid dicturus esses</i>

## PROPOSITIO INTERROGATIVA OBLIQA SEV INDIRECTA

Propositiones interrogativae obliquae aut simplices aut disiunctivae esse possunt. Plurima, quae de propositione interrogativa recta dicta sunt, de obliquis quoque dici possunt. Propositio interrogativa obliqua postulat modum coniunctivum et sequitur consecutionem temporum.

Propositiones interrogativae obliquae introducuntur:

⇒ pronomibus, adiectivis, adverbisque interrogativis:

- *Ut in vita, sic in oratione nihil est difficilius quam **quid** deceat videre. (Cic.)*
- *Virtus, **quo** tendat, non **quid** passura sit, cogitat. (Sen.)*
- *Eadem aut turpia sunt aut honesta: refert **quare** aut **quemadmodum** fiant. (Sen.)*
- *Humanae autem vitae condicionem praecipue primus et ultimus dies continet, quia plurimum interest **quibus** auspiciis inchoetur et **quo** fine claudatur. (Val. Max.)*

⇒ particulis interrogativis (cum ad universam propositionem referuntur):

- *Scire velim **num** censum impediunt tribuni. (Cic.)*
- *Optime dicis, sed quaero **nonne** tibi faciendum idem sit. (Cic.)*
- ***Num** vis laudari ob improbum scelus?*

⇒ particulis disiunctivis:

- *Nihil differt **utrum** aegrum in ligneo lecto **an** in auro colloces; quocumque illum transtuleris, morbum suum transfert. (Sen.)*
- *Diu magnum inter mortales certamen fuit, vine corporis **an** virtute animi res militaris magis procederet. (Sall.)*
- *Videamus primum, deorumne providentia mundus regatur, deinde, consulantne rebus humanis. (Cic.)*

Cum verbis temporalibus dubitandi (*dubito an...; haud scio an...*) adhibetur:

- *an* si responsum expectamus affirmativum;
- *an non* si responsum est negativum;
- *-ne, num* si nescimus quale sit responsum.

## QVOMODO LATINE RESPONDEAMVS

Interrogationibus varia responsa reddi possunt. Quid respondeatur, ex interrogatione ipsa diiudicandum est.

Responsio affirmans fit particulis: *ita, ita est, etiam, sane, sane quidem, sane vero*, vel repetendo verbum temporale, ut:

I. *Fuistine Romae?* R. *Ita; ita est; fui.*

I. *Venistine solus?* R. *Ita; Sane quidem; Solus; Solus veni.*

I. *Quomodo tecum?* R. *Bene; Male; Satis bene; Optime.*

Negantes respondemus: *Non; Non ita; Minime; Minime vero*, vel verbum temporale repetendo, ut:

I. *Studuistine litteris latinis?* R. *Non studui; minime; minime vero; non ita; nequaquam.*

I. *Quot nummi tibi sunt?* R. *Quinque; unus; nulli; multi; nescio, et similia.*

## PROPOSITIO CAUSALIS

Propositio causalis indicat causam, ob quam fit actio expressa in enuntiato primario. Praecipuae propositiones causales duorum sunt generum: id est, aut causam veram indicant, unde indicativum usurpant; aut non veram vel dubiam vel non probatam ab eo qui scribit, et coniunctivum admittunt.

Praecipuae coniunctiones causales hae sunt: *quod, quia, quoniam, quando; quandoquidem, siquidem, cum.*

Verba temporalia, nomina substantiva et adiectiva, animorum motus indicantia, ut: *gaudeo, lugeo, queror; lamentor, maeror; gaudium, luctus; laetus, beatus, maestus, tristis* et alia huiusmodi saepissime causales regunt.

Postulant indicativum coniunctiones *quandó(quidem), quando, síquidem:*

- *Sed sit beneficium, **quandoquidem** maius accipi a latrone nullum potuit; in quo potes me dicere ingratum? (Cic.)*
- *An vero quisquam dubitabit appellare Caesarem imperatorem? Aetas eius certe ab hac sententia neminem deterrebit, **quandoquidem** virtute superavit aetatem. (Cic.)*

Coniunctiones *quod, quia, quoniam* postulant sive indicativum sive coniunctivum:

- *Numquam est utile peccare, **quia** semper est turpe, et, **quia** semper est honestum virum bonum esse, semper est utile. (Cic.)*
- ***Quoniam** iam nox est, in vestra tecta discedite. (Cic.)*
- *Homo improbus non scelere abstinet, **quod** id turpe iudicet, sed **quod** metuat ne emanet. (Cic.)*
- *Noctu ambulabat in publico Themistocles, **quod** sumnum capere non posset. (Cic.)*
- *Memini, me admodum adulescentulo, cum pater in Macedonia consul esset et essemus in castris, perturbari exercitum nostrum religione et metu, **quod** serena nocte subito candens et plena luna defecisset. (Cic.)*

Coniunctio *cum* (*qui, quae, quod*) postulat tantum coniunctivum:

- *Audierat omnia Antigonus utpote cum inter dicentes et audientem palla interesset.* (Sen.)

## ENVNTIATVM FINALE

Propositio finalis exprimit finem, in quem tendit actio expressa in propositione primaria. Harum propositionum constructiones multiples ac variae sunt:

<i>Hostes legatos miserunt,</i>	{	<ul style="list-style-type: none"> <li><i>ut pacem peterent</i> (FINALIS; <i>ut</i> affirmative, <i>ne</i> negative: m. coniunctivus)</li> <li><i>qui pacem peterent</i> (FINALIS RELATIVA)</li> <li><i>pacem petendi causa</i> (GERVNDIVM GENETIVVM FINALE)</li> <li><i>pacis petendae causa</i> (GERVNDIVVS FINALIS)</li> <li><i>pacem petentes</i> (PARTICIPIVM PRAESENS FINALE)</li> <li><i>pacem petituros</i> (PARTICIPIVM FUTVRVM FINALE)</li> <li><i>pacem petitum</i> (SUPINVM ACTIVVM FINALE)<sup>1</sup></li> <li><i>ad pacem petendam</i> (GERVNDIVVS ACCVSATIVVS FINALIS)</li> </ul>
---------------------------------	---	---

Exempla:

- *Legum idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus.* (Cic.)
- *Vomunt ut edant, edunt ut vomant.* (Sen.)
- *Animo imperato, ne animus imperet tibi.* (Publ. Syr.)
- *Legati veniunt auxilium implorantes.* (Liv.)
- *Multi principes civitatis non tam sui conservandi quam tuorum consiliorum reprimendorum causa profugerant.* (Cic.)
- *Alexander ad Iovem Hammonem pergit, consulturus et de eventu futurorum et de origine sua.* (Iust.)
- *In opere quis par Romano miles? Quis ad tolerandam rem melior?* (Liv.)

Si gradus comparativus habetur, tum **quo** pro *ut eo* adhibendum est:

- *Tibi sive deus sive mater, ut ita dicam, rerum omnium natura dedit animum, quo nihil est praestantius neque divinius.* (Cic.)

Cum prior propositio finalis affirmat, posterior vero negat, prior *ut*, posterior *neve* vel *neu* vel *neque* vel *nec* postulat. Cum duae propositiones finales negativae altera alteram sequuntur, altera coniunctionem *neve* vel *neu* usurpat.

- *Caesar ad Lingonas litteras nuntiosque misit, ne eos frumento neve alia re iuvarent.* (Caes.)

## PROPOSITIO TEMPORALIS

Huius generis propositiones, quae tempus indicant, quo aliquid fiat, satis frequentes satisque variae sunt.

### α) Coniunctio *cum*

1. CUM TEMPORALE (*quando, allorché, nel tempo in cui*) indicat solum tempus quo aliquid agitur et postulat modum indicativum:

- *Pelopidas, Spartam cum oppugnavit, tenuit alterum cornu.* (Nep.)

<sup>1</sup> Hoc tamen solum cum verbis motum indicantibus invenitur!

2. CUM NARRATIVUM vel HISTORICUM (mentre, allorché, quando, poiché) narrat rem veram, quod arte coniungitur cum propositione primaria; postulat coniunctivum:

- *Cum inambularem in xysto, Marcus ad me Brutus venerat.* (Cic.)
- *Dionysius tyrannus, cum Syracusis pulsus esset, Corinthi dicitur ludum aperuisse.* (Cic.)

←-----→  
 3. CUM ITERATIVUM (ogni qualvolta, ogni volta che) indicat tempus, quo aliquid semel atque iterum fit et postulat indicativum:

- *Cum patrem aegrotum videram, magno dolore conficiebar.*

4. CUM INVERSUM vel ADDITIVUM (quando, quand'ecco, ed ecco) indicat tempus, quo aliquid de improvviso fit et postulat indicativum:

- *Vix novissimum extra munitiones processerat, cum Galli repente ad castra concurrunt.* (Caes.)

5. CUM EXPLICATIVUM (in quanto che, per il fatto che, perciò che) illustrat eventum in propositione primaria traditum; postulat indicativum:

- *Bene agis, cum me diligis.* (Cic.)

6. CUM COINCIDENS vel IDENTITATIS (intanto, e frattanto) indicat convenientiam temporum et propositionis primariae et propositionis secundariae; et postulat indicativum:

- *Caedebatur virgis civis Romanus, cum interea nullus gemitus audiebatur.* (Cic.)

←-----→

### β) Coniunctiones: *dum, donec, quoad, quamdiu*

1. Coniunctio DUM (mentre, nello stesso tempo che) postulat indicativum et tempus praesens historicum et indicat temporum convenientiam in propositione primaria:

- *Dum Caesar in castris moratur, hostes insidias instruxerunt.* (Caes.)

2. Coniunctiones DUM, DONEC, QUOAD, QUAMDIU (finché, per tutto il tempo che) postulant indicativum:

- *Potens fuit Troia, dum Priami alta regna manebant.* (Verg.)
- *M. Cato, quoad vixit, virtutum laude crevit.* (Nep.)
- *Quoad potero, rem tolerabo.* (Cic.)

3. Coniunctiones DUM, DONEC, QUOAD (finché non, fino a tanto che, fino al momento che) postulant:

a) indicativum perfectum vel futurum exactum cum factum reale exprimitur:

- *Mihi usque erit curae, quid agas, dum sciero te valere.* (Cic.)
- *Epaminondas ferrum in corpore retinuit, quoad renuntiatum est vicisse Boeotas.* (Nep.)

b) coniunctivum praesens vel imperfectum vel plusquamperfectum cum voluntas vel exspectatio exprimitur:

- *Istic me opperire, dum redeam.* (Cic.)
- *Eum exspectavimus, dum remeavisset.*

### γ) Coniunctiones: *ante(a)quam, priusquam*

Coniunctiones ANTE(A)QUAM, PRIUSQUAM (prima che, prima di) sive indicativum sive coniunctivum regere possunt.

a) Modus indicativus temporis praesentis regitur, cum tempus propositionis primariae praesens est:

- *Antequam discedis istinc, exple desiderium meum.* (Cic.)

b) Modus indicativus temporis perfecti regitur, cum tempus propositionis primariae perfectum est:

- *Paucis ante diebus quam mortuus est, rex Micipsa huiusmodi verba cum Iugurtha habuit.* (Sall.)

c) Tempus futuri exacti nec non modus indicativum temporis praesentis, cum tempus propositionis primariae futurum est:

- *Respondebo tibi, sed non antequam mihi tu ipse responderis.* (Cic.)

d) Modus coniunctivus temporis praesentis vel imperfecti vel plusquamperfecti regitur, cum eadem propositio voluntatem, expectationem, facultatem exprimit:

- *Priusquam incipias, consulto opus est.* (Sall.)
- *Caesar, priusquam se hostes ex terrore ac fuga reciperent, in fines Suessionum exercitum duxit.* (Caes.)
- *Saepe magna indoles virtutis, priusquam rei publicae prodesse potuisset, exstincta fuit.* (Cic.)

δ) **Coniunctiones: ubi, ut; ubi primum, ut primum, cum primum; simulatque, simulac, simul; post(ea)quam**

Hae coniunctiones (it. /non/ appena che, tosto che, come) postulant modum indicativum et indicant eventum proximum quod antecedit id, de quo in propositione primaria narratur:

- *Mihi plaudo ipse domi, simul ac nummos contemplor.* (Hor.)
- *Rex Midas, ubi quid tetigerat, aurum fiebat.* (Ov.)
- *Id ubi constitueris, fac sciam.* (Cic.)
- *Ut [Pompeius] peroravit, surrexit Clodius.* (Cic.)

## PROPOSITIO RELATIVA

Propositio relativa introducitur:

a) pronomibus relativis : *qui, quae, quod;*

b) pronomibus relativis indefinitis: *quisquis, quidquid; quicumque, quaecumque, quodcumque.*

c) adverbis relativis: *ubi, quo, unde, ubicumque, quacumque.*

Propositiones relativae modum sive indicativum sive coniunctivum admittunt.

a) Modus indicativus invenitur in propositionibus, quae notiones veras (obiectivas) exprimunt:

- *Hannibal venenum, quod secum habere consuerat, sumpsit.* (Nep.)
- *Speremus, quae volumus, sed quod acciderit, feramus.* (Cic.)
- *Tarquinius est mortuus Cumis, quo se post fractas opes Latinorum ad Aristodemum tyrannum contulerat.* (Liv.)
- *Qualescumque duces habuistis, qualescumque ipsi fuistis, omnia, quantacumque petistis, obtinuistis seu vi seu fortuna vestra.* (Liv.)



b) Modus coniunctivus invenitur in propositionibus, quae notionem finis vel causae vel concessionis vel condicionis vel consecutionis in se habent:

- *Legati hostium ad Caesarem venerunt, **qui** (= ut ii) **gratias agerent**. (Caes.)*
- *Me et de via fessum et **qui** (= quia ego) **ad multam noctem vigilassem**, somnus artior quam solebat complexus est. (Cic.)*
- *Egommet, **qui** (= quamvis) **sero ac leviter Graecas litteras attigissem**, tamen, cum Athenas venissem, complures tum ibi dies sum commoratus. (Cic.)*
- *Haec **qui** (= si quis) **dicat**, erret. (Cic.)*
- *Incidunt saepe causae, **quae** (= ut eae) **conturbent animos**. (Cic.)*

c) Modus coniunctivus quoque in propositione relativa invenitur, cum non scriptoris sed aliorum sententia refertur:

- *Zeno autem, quod suam, quod propriam speciem habeat, cur appetendum sit, id solum bonum appellat, beatam autem vitam eam solam, **quae** cum virtute **degatur**. (Cic.)*

(Zenonis mens, non scriptoris intellegenda est!)

d) Modus coniunctivus quoque post has similesque locutiones invenitur:

*Sunt, **qui** Graecas litteras non **ament**.  
Existunt, **qui** nihil **credant**.  
Reperiuntur, **qui** nihil boni **fanciant**.  
Nemo est, **qui** me **adiuvet**.  
Quis est, **qui** utilia **fugiat**?*

Nam hae propositiones consecutivas quoque redolent, ut si quis dicat: *sunt tales... ut...*

e) Coniunctivus invenitur quoque post adiectiva: *dignus, indignus, aptus, idoneus*, ut:

*Qui modeste paret, **dignus** est,  
**qui** aliquando **imperet**. (cfr. Cic.)*

*Hunc pro suis beneficiis Caesar **idoneum** iudicaverat,  
**quem** cum mandatis ad Cn. Pompeium **mitteret**. (Caes.)*

Huius enim generis propositiones etiam consecutionis notionem in se habent.

## PROPOSITIO CONDICIONALIS (SUPPOSITIVA, HYPOTHETICA)

Propositio condicionalis duabus propositionibus, inter se arte coniunctis, constat, quarum altera (= protāsis; *προτίθημι* - antepono) condicionem necessariam exprimit, ut consequatur quod altera (= apodōsis; *ἀποδίδωμι* - reddo) enuntiat. Propositio subiecta (protāsis) inducitur coniunctionibus: *si, nisi* (cum tota propositio negatur), *si non* (cum solum notio quaedam negatur), vel *sin* (= *si tamen*).

<i>Si hoc credis,</i>	<i>erras</i>
protāsis	apodōsis
prop. subiecta	prop. primaria

Propositiones condicionales tres praecipuas praebent formas, quae et significatione et verbi temporalis modo dignoscuntur.

**PROPOSITIO CONDICIONALIS REALIS** (assertiva) postulat modus indicativus cuiusvis temporis, in protasi et apodosi; id enim quod affirmatur vel proponitur, habetur res vera (obiectivum) ab eo qui scribit vel loquitur:

- *Si di sunt, est divinatio; sunt autem di; est ergo divinatio.* (Cic.)
- *Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris.* (Phaedr.)

**PROPOSITIO CONDICIONALIS POSSIBILIS** postulat tempus praesens aut perfectum modi coniunctivi in protasi et apodosi; id enim quod in protasi proponitur, fieri potest:

- *Quid apponas, si negem me unquam ad te istas litteras misisse?* (Cic.)
- *Id si ille affirmaverit, erraverit.* (Cic.)

**PROPOSITIO CONDICIONALIS IRREALIS** postulat tempus imperfectum aut plusquamperfectum modi coniunctivi in protasi et apodosi; id enim quod in protasi proponitur, fieri non potest. Quam ob rem modus coniunctivus temporis imperfecti adhibetur, si condicio ad praesens refertur; modus vero coniunctivus temporis plusquamperfecti, si condicio ad praeteritum refertur:

- *Divitias nego bonum esse: nam si essent, bonos facerent.* (Sen.)
- *Num igitur, si ad centesimum annun vixisset, senectutis eum suae paeniteret?* (Cic.)

Inter propositiones condicionales etiam relativae enumerari possunt, cum condicionem exprimunt:

- *Haec qui videat, nonne cogatur confiteri deos esse?* (Cic.)
- *Qui videret, equum Troianum introductum, urbem captam diceret.* (Cic.)

## PROPOSITIO CONDICIONALIS OBLIQUA SEV INDIRECTA

Propositio condicionalis in oratione indirecta sequitur normas singulares: haec sententia pendet a verbo declarandi aut interrogandi. Normae autem eadem fere sunt atque eae quae habentur aut ex consecutione temporum aut ex attractione modorum, qua propositio dependens ab alia subiecta cum verbo in coniunctivo vel infinitivo, coniunctivum postulat.

<i>si hoc dicis, erras</i>	{	<p><i>puto te, si hoc dicas (dicis), errare</i> (credo che, se dici questo, sbagli)</p> <p><i>putabam te, si hoc diceres, errare</i> (credevo che, se avessi detto questo, avresti sbagliato)</p>
----------------------------	---	---

<i>si hoc dices, errabis</i>	{	<p><i>puto te, si hoc dicas (dices), erraturum esse</i> (credo che, se dirai questo, sbaglierai)</p> <p><i>putabam te, si hoc diceres, erraturum esse</i> (credevo che, se avessi detto questo, avresti sbagliato)</p>
------------------------------	---	--

<i>si hoc dixeris, reprehenderis</i>	{	<p><i>puto te, si hoc dixeris, reprehensum iri</i> (credo che, se dirai questo, sarai rimproverato)</p> <p><i>putabam te, si hoc dixisses, reprehensum iri</i> (credevo che, se avessi detto questo, saresti stato rimproverato)</p>
--------------------------------------	---	--

*si hoc dixisti, erravisti* { *puto te, si hoc dixeris (dixisti), erravisse*  
(credo che, se hai detto questo, hai sbagliato)  
*putabam te, si hoc dixisses, erravisse*  
(credevo che, se avevi detto questo, avevi sbagliato)

*si hoc dicas, erres* { *puto te, si hoc dicas, erraturum esse*  
(credo che, se dicessi questo, sbaglieresti)  
*putabam te, si hoc diceres, erraturum esse*  
(credevo che, se avessi detto questo, avresti sbagliato)

Exempla:

- *Deos didici securum agere aevum, nec, si quid miri faciat natura, deos id ex caeli demittere tecto.* (Hor)
- *Neminem laudare ausus est, veritus ne multos offenderet, si paucos excerpisset.* (Tac.)
- *Negat Cicero, si duplicetur sibi aetas, habiturum se tempus, quo legat lyricos.* (Sen.)

## ENVNTIATVM CONSECVTIVVM

Propositio consecutiva, quae exprimit consecutionem actionis vel condicionis expressae in enuntiato primario, introducitur coniunctionibus consecutivis, quarum praecipuae sunt: *ut* (si affirmamus), *ut non* (si negamus). Postulatur modus coniunctivus! Has plerumque antecedunt particulae quae sunt: *ita* vel *adeo* vel *tam*.

- *Tanta est vis probitatis ut eam in hoste etiam diligamus.* (Cic.)
- *Alcibiades ea sagacitate erat ut non facile deciperetur.* (cfr. Nep.)

Inter propositiones consecutivas enumerandae sunt hae similesque sententiae quae relativas et comparativas sapiunt. Hae introducuntur pronomibus relativis (*qui, quae, quod; quin*) vel *quam ut* vel *tantum... ut*.

- *Maior sum quam cui (= ut mihi) possit fortuna nocere.* (Ov.)
- *Nemo est tam fortis, quin (qui non) rei novitate perturbetur.* (Caes.)
- *Numquam tam male est Siculis quin (= qui non) aliquid facete et commode dicant.* (Cic.)
- *Dilexi tum te non tantum ut vulgus amicam, sed pater ut gnatos diligit et generos.* (Cat.)
- *Ac philosophia tantum abest, ut laudetur, ut a multis etiam vituperetur.* (cfr. Cic.)

Sunt quoque nonnulla verba, quae propositionem consecutivam admittunt, quorum praecipua sunt: *accidit, evenit, contingit, fit, restat, sequitur*, et alia.

- *Persaepe evenit ut utilitas cum honestate certet.*
- *Factum est ut virtute militum ne unum quidem nostrorum impetum hostes ferrent ac statim terga verterent.* (Caes.)
- *Restat, ut doceam atque aliquando perorem omnia, quae sint in hoc mundo, quibus utantur homines, hominum causa facta esse et parata.* (Cic.)

## CONIUNCTIONES CONCESSIVAE

Propositio concessiva exprimit condicionem, cuius vi concessio quaedam datur contra id, quod in propositione primaria affirmatur. Usurpatur modus indicativus, cum concessio in rebus certis versatur aut tales considerantur; modus coniunctivus, cum agitur de concedenda re quae fieri potest vel quae est tantum in aliorum mente.

Coniunctiones *etsi*, *tametsi*, *quamquam* regunt potissime indicativum, *quamvis*, *ut*, *cum*, *licet* coniunctivum admittunt, *etiamsi* vel indicativum vel coniunctivum postulat.

Exempla:

- *Etsi vereor, iudices, tamen loqui audebo.*
- *Nostri tametsi ab duce et a fortuna deserebantur, tamen omnem spem salutis in virtute ponebant. (Caes.)*
- *Medici quamquam intellegunt saepe, tamen numquam aegris dicunt illo morbo eos esse morituros. (Cic.)*
- *Quamvis enim sine mente, sine sensu sis, ut es, tamen et te et tua et tuos nosti. (Cic.)*
- *Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas. (Ov.)*
- *Socrates cum facile posset educi e custodia, noluit. (Cic.)*
- *Fremant omnes licet, dicam quod sentio. (Cic.)*
- *Inops ille, etiamsi referre gratiam non potest, habere certe potest. (Cic.)*
- *Etiamsi taceatis, cognoscentur veritas.*

## PROPOSITIO COMPARATIVA

Propositiones comparativae duo vel plura membra inter se conferunt. Aliquid enim aut par aut maius aut minus altera re esse potest. Propositio huius generis ergo potissimum invenitur:

1. ubi aliquid maius vel minus altera re est; exprimitur adverbio *quam*:

- *Plura dixi quam ratio postulabat. (Cic.)*
- *Alcibiades timebatur non minus quam diligebatur. (Liv.)*
- *T. Pomponius Atticus, si iniuriam acceperat, oblivisci quam ulcisci malebat. (Nep.)*

2. ubi duo eiusdem gradus sunt; exprimi potest

a) locutionibus correlativis:

<i>sic... ut</i>	<i>tantum... quantum</i>	<i>tantopere... quantopere</i>
<i>ita... ut</i>	<i>tam... quam</i>	<i>totie(n)s... quotie(n)s</i>
<i>sic... quamadmōdum</i>	<i>tot... quot</i>	<i>tanto... quanto</i>
<i>talis... qualis</i>	<i>totiens... quotiens</i>	<i>eo... quo...</i>

- **Quemadmōdum** senectus adulescentiam sequitur, **ita** mors senectutem. (Cic.)
- Pausanias Lacedaemonius magnus homo sed varius in omni genere vitae fuit: nam **ut** virtutibus eluxit **sic** vitiis est obrutus. (Nep.)
- **Eo** crassior est aer **quo** terris propior. (Sen.)
- **Ut** magistratibus leges, **ita** populo praesunt magistratus. (Cic.)

b) locutionibus **ac** vel **atque** post adiectiva vel adverbia: *dissimilis, similis, par, aequalis, aequus, idem, alius, similiter, aequae, aliter, perinde, secus, proinde, contra, secus...*

- **Par** desiderium sui reliquit apud populum Romanum Labiēnus **ac** T. Gracchus reliquērat. (Cic.)
- Cave **simili** fortuna utāre (= utaris) **atque** ego usus sum. (Cic.)
- **Aliter atque** ostendēram facio. (Cic.)
- In eo magistratu **pari** diligentia se Hannibal praebuit **ac** fuerat in bello. (Nep.)

### **Propositio comparativa condicionalis**

Hae propositiones introducuntur locutionibus: *tamquam, quasi, velut; ut si, tamquam si, velut si, perinde ac si, non aliter ac si, haud/non secus ac si*. Modus est coniunctivus. Exempla:

- **Tamquam** frater mihi **sis**, medium abdomen tecum dividam. (Pompon.)
- **Tamquam si** claudus sim est ambulandum. (Pl.)
- Gellius **quasi** mea culpa bona perdidit, sic est mihi inimicus. (Cic.)

Index librorum, quibus usus sum:

DIONIGI I. - MORISI L. - RIGANTI E., *Verba et res. Morfosintassi e lessico del latino. Teoria ed esercizi, 2.*, Roma - Bari 1997.

GHISELLI. A. - CONCIALINI G., *Il nuovo libro di latino. Esercizi*, Roma - Bari <sup>5</sup>2002.

KOPRIVA S., *Latinska slovnica*, Maribor 1989.

MANNA F., *Grammatica della Lingua Latina*, Milano 1996.

MIR I. M. - CALVANO C., *Via omnibus aperta, 1. Summa Grammaticae Latinae*, Romae 1993.

PAREDI A., *Thesaurus. Grammatica latina con esercizi di sintassi stilistica e metrica per licei e università*, Milano <sup>6</sup>1990.

PAVANETTO C., *Elementa linguae et grammaticae Latinae*. Romae <sup>6</sup>2009.

POVŠIČ B., *Grammatica Latina*, Cassini 1974.

TRAINA A. - BERTOTTI T., *Sintassi normativa della lingua latina*, Bologna <sup>3</sup>2003.